

DISSERTATIO ACADEMICA,  
DE ORUM CUM MORTALIBUS  
IMMEDIATE HABITA COMMERCIA  
EX HOMERO ILLUSTRATA

SISTENS,

CUJUS

PARTEM II: DAM,

CONS. AMPLISS. FACULT. PHILOS. ABOËNSIS,

PRÆSIDE

*JOHANNE BONSDORFF,*  
*Litter. Graecar. Profes. Ord.,*

PRO GRADU PHILOSOPHICO,

PUBLICÆ BONORUM CENSURÆ OFFERT

*FRIDERICUS ROSENBOOM,*  
*Stipend. publ., Wiburgensis.*

In audit. Med. die IX Junii MDCCXIX.  
h. p. m. s.

---

ABOË, TYPIS FRENCKELLIANIS.



fugaces in pugna, aut panico prorsus terrore cor-  
repti, res tuas gerebant pessime, vires ipsis ade-  
missæ imbellemque injecisæ animum (*x*): Deum  
Ulyssi, horrendo Cyclope, Polyphemo, fortiter se  
expediendi audaciam inspirasse (*y*): Minervam filiæ  
Alcinoi, Nausicaa, Ulyssem manendi audentiam,  
reliquis puellis diffugientibus, indidisse (*z*): eandem  
Deam Diomedi, qui Dolonem fugientem ocius asse-  
cutus fuit, insequendi impetum suggesisse (*a*): Mi-  
nervam item Diomedi, qui viribus suis confidens  
vindictæque cupidine tactus denuo in pugnam, vul-  
neratus quamvis, fortiter irruit, Ulyssique, qui in  
certamine funebri, post exsequias Patrocli instituto,  
cursu victoriam reportavit, membra levia reddidisse,  
pedes manusque (*b*); atque idem quoque officium  
Ajacibus, qui Hœtori alacres restitere animo, præ-  
stitisse Neptunum (*c*): Jovem Hœtori, qui, lapide,  
majoris, quam ut duo ex populo viri fortissimi fa-  
cile in plastrum a solo extulissent, molis atque

C pon-

---

*x) Cfr. Il. XI: 543, XIII: 434, XIV: 73, XV: 326, 366,  
XVI: 656, XVII: 118, 176, Od. XIV: 269, coll. XVII:  
438. &c.*

*y) Od. IX: 381.*

*z) Od. VI: 140.*

*a) Il. X: 366.*

*b) Il. V: 122, XXIII: 772.*

*c) Il. XIII: 61.*

ponderis, sublato, portam muri Achivorum percusserat, grave onus allevasse (*d*): Jovem atque Apollinem Æneæ & Hectori, qui pedum velocitate e manibus evasisserent Achillis, robur excitasse & velocia genua (*e*): immo Jovem, Minervam, & Mercurium, equis Achillis, Diomedis & Priami quam in cursu testatam fecerunt alacritatem roburque, credite posteri, inspirasse (*f*). Quo denique pacto quæ in Homero divinitus inspirata & suggesta sistuntur, sive bene sive male cogitata, consulta, dicta, inceptaque explicabimus, nisi infantilis, quæ orbi antiquo placuit, philosophiæ ratione habita? Legentibus namque nobis: Junonem, grasante inter Achivos peste, Achilli consilium illud, utique prudentissimum, Achivos ad concionem, ut de optimo in rebus tam asperis deliberarent remedio, vocandi inspirasse (*g*): Minervam, cogitante Ulysse, utrum Lyciorum, a Tlepolemo vulneratum, ducem, Sarpedonem, in quo e pugna ferendo occupati erant socii, insequeretur, an, quod satius quoque duxerat, stragem in turba edere pergeret, animum ejus vertisse ad multitudinem (*h*):

con-

---

*d) Il. XII: 450.*

*e) Il. XX: 93, XXII. 204.*

*f) Cfr. Il. XVII: 456, XXIII: 390, XXIV: 442.*

*g) Il. I: 55 f.*

*h) Il. V: 670 f.*

conclusis intra fossam Achivis, vix caustum fuisset  
navium, quod Trojani meditabantur, incendio, nisi  
Agamemnoni in animo posuisse Juno, suos ocius  
concitare animumque, qui jam ceciderat, ipsis red-  
dere (*i*): Minervam Ulyssis, dum, naufragio facto,  
continentem nando petiturus, ad asperum littus  
scopulosque allisisset periculoque subesset maris æstu  
penitus in iisdem confringi, loca hæcce impervia  
præternatandi egressuique commodiora quærendi  
prudentiam indidisse (*k*): Deum, nominatim Miner-  
vam, Penelopæ, in procorum perniciem, varios do-  
los inspirasse (*l*): Minervam concitasse Ulyssem,  
ut panem a procis, misericordiam eorum animique  
facilitatem experiundi gratia, mendicaret (*m*): Jovem  
Ægiochum suscitasse Ulyssem in procos (*n*): Jovem,  
Minervam, aliosque Deos — quia insipientem red-  
dere possunt eum, qui vel prudentissimus fuerit, &  
contra (*o*), — sanam mentem imprudenter & incon-  
siderate agentibus loquentibusque ademisse, v. gr.  
Glauco, qui cum Diomede arma permutasset, au-  
rea æneis, centum boves valentia novem boves

C 2

valen-

---

*i*) *Il.* VIII: 217. *f.*

*k*) *Od.* V: 424. *f.*

*l*) *Od.* XVIII: 157. *f.*, XIX: 137. *f.*, XXI: 1. *f.*

*m*) *Od.* XVII: 360.

*n*) *Od.* XXIV: 163.

*o*) *Od.* XXIII: 11. *f.*

valentibus (*p*), Antenori qui Paridi, Polydomantique qui Hectori, ingrata dixissent (*q*), Automedonti, qui solus in turbam Trojanorum cum curru suo penetrasset (*r*), Trojanis, qui Hectori, perniciosa quamvis consilia danti, acclamascent (*s*), eorum senibus, qui Hectorem, Achivos in ipsis castris suis mox atque advenissent aggredi volentem, detinuerant (*t*), Agamemnonique, qui Achillem injuria temere affecisset (*u*): Deosque præterea, futurorum præfigia (*v*), tempus ad res gerendas maxime opportunum (*x*), dicenda (*y*), dicendique libertatem (*z*), suggerere, quin & audita, oblitaque in memoriam reducere (*a*); — quid aliud hæc omnia, innumeraque alia, his similia, probant exempla, quam Homerum, non quidem fingendi aut fallendi studio,

---

*p*) *Il.* *VI*: 234. *f.*

*q*) *Il.* *VII*: 360, *XII*: 231. *f.*

*r*) *Il.* *XVII*: 469. *f.*

*s*) *Il.* *XVIII*: 310. *f.*

*t*) *Il.* *XV*: 724.

*u*) *Il.* *IX*: 377. coll. *XIX*: 86. *f.*, 137. *f.*, 270. *f.*

*v*) *Od.* *I*: 200, *XV*: 172.

*x*) *Od.* *XVI*: 282.

*y*) *Od.* *III*: 27.

*z*) *Od.* *I*: 384. *f.*, *III*: 76. *f.*

*a*) *Od.* *XII*: 37, *Il.* *XVIII*: 130.

studio, verum præjudicata veterum opinione impe-ditum, singularem hominum in cogitando, dicendo, agendoque, sive prudentiam, sive imprudentiam, ad Deos immediate inspirantes stimulantesque, cum ta-men "nullum Numen abest, si sit prudentia rebus", transtulisse? In eo tamen Poëta non magis vide-tur culpandus, quam v. gr. Exodi auctor, qui *Bezaleelem*, utpote eximia in variis opificiis pruden-tia & intelligentia præditum, *Dei Spiritu* (immor-tali illa, secundum PHILONEM (b), scientia, *νοέ πάσ  
ο οὐρανούς μετέχει*) impletum fuisse proponit (c). Tacemus, vulgum — vel orbis, qui supra gentiles se sapere gloriatur, Christiani — hodieque, respectu ad vires & *ενέργειαν* humanæ machinæ habito, ea-dem fere, quæ Homerum occupavit, laborare su-perstitione.

## §. II.

Quod si autem *simplicis* Deorum cum mortali-bus ex philosophia antiqua & Homericā commerciū vera & genuina est quam sic quidem explicuimus origo, neque quod diximus *symbolicum*, quum scili-cket Deus, aut voce cœlitus demisfa, aut appari-tione simul & collocutione, aut denique per somnia, auribus oculisque & phantasiæ hominum fese mani-

---

b) Libro de *Gigantibus* (Vol. II, p. 366, Edit. Pfeifferianæ).  
c) *Exod.* XXXI: 3.

manifestasse videbatur suaque apernisse consilia, aliunde quam ex puerili veterum philosophandi ratione erit repetendum. Quod quidem ut tanto dilucidius pateat, de singulis hujus commercii speciebus pauca, quæ ad rem nostram faciant, notabimus.

Observamus itaque primo, priscos, eadem omnino, quæ inspirationis peperit dogma, ignorantia occæcatos, non solum conscientiæ stimulos atque monita (vulgo dicere solemus *vocem & dictamina*), verum etiam quæ animis, magna inprimis & ardua molientium, voluntarentur cogitata, consilia & dubia, tanquam cœlitus ad animos perlata dicta, sibi concepisse, atque hinc, nec alia unquam de causa, Homerum, reliquosque antiquos Scriptores, intus genita ratiocinia sensaque ut a Diis viva voce communicata haud raro proponere, & quidem forma dialogistica, primas ubique partes sustinente Numinе. Hæret ex. gr. Achilles, gravi in Agamemnonem, quod Briseida sibi auferre minatus fuerat, ira correptus, utrum ense stricto a femore eum interficeret, an iram sedaret atque compesceret; tandemque stringit quoque ensim, irruere paratus: verum, quia mox rediens ad se, religionique sibi duicens, Regi, quem penes summa esset imperii, manus inferre, horrendo desliterat proposito, rem ita refert Poëta, quasi Minerva Achilli a tergo adstiterit, coma eum prehenderit, allocutaque cohibuerit

rit (*d*). In animum sibi inducit Ulysses, Achivos, qui in eo jam erant, ut, male intellecta Agamemnonis oratione, turpi in patriam terram fug<sup>o</sup>, bello nondum confecto, sese committerent, cohibere & in saniorem mentem reducere: at, ex philosophia Poëtæ, Minerva consilium hocce suggesferat, unde & Ulyssem allocuta singitur (*e*). Dubius hæret Diomedes, utrum Thracas dormientes interficere pergit, an, strage, quam ediderat, spoliisque, quibus cum socio expeditionis Ulysse potitus erat, contentus, pedem referat: tandem vero, veritus, ne Trojani somno experrecti indignam suorum vindicarent cædem, ad castra Græcorum reverti sibi constituit, & quidem, ut tradit Homerus, Minervæ allocutione admonitus (*f*). Statuit apud animum Hector, pugna, quamdiu Agamemnonem furibunde in prima acie ruentem videret, cedere, nec nisi postquam in turba militum, quos interea ad fortiter resistendum & pugnandum exhortari vellet, sive cominus sive eminus vulneratus fuerit, progredi: sed, ut rem

ex-

---

*d) Il. I: 188. f.* — Confirmat vero & hic locus & qui sequuntur teli qui, Homericum Deos, non ex arbitrio & promiscue, verum pro substrata materie & diverso Deorum carachtere, systematicque, quod sibi præscriperat, ratione habita, in scenam, quoties *dignus vindice nodus* producere.

*e) Il. II: 173. f.*

*f) Il. X: 504. f.*

exponit Poëta, Iris, ex mandato Jovis, prudens  
 hocce cum Hectore communicaverat consilium (*g*).  
 Hectora item, quum, ex gravi, quod Ajax Æileus  
 inflixerat, vulnere vix recreatus, copias obeundi &  
 exhortandi cepisset consilium, Apollo incitans pro-  
 ponitur (*h*). Ter quidem periculum facit Patroclus,  
 murum Trojæ conseruare; quoniam vero, conti-  
 nuo perturbatus, prudentissimum duxerat incepto  
 absistere, Apollo minaciter eum fertur allocutus (*i*).  
 Pari etjam modo Neptunus, Ænea contra Achillem  
 furibundum pugnare cogitante, & tamen, re accu-  
 ratius penitata, recedente, reprehendens & dehor-  
 tans sistitur (*k*). Hectori vero, eundem Achillem  
 in turba excipere consultius ducenti, quam in pri-  
 ma acie cum eo congregari, Apollo consilium hocce  
 viva voce dedisse depingitur (*l*). Diu multumque,  
 sed frustra, Achilles Agenora, qui telo se feriisset,  
 longius atque longius a muro Trojæ fugientem per-  
 sequitur, tandemque, postquam reliquos Trojanos  
 hac sua imprudenti digressione facultatem intra  
 urbis se recipiendi pomœria noctes comperisset,  
 erroris

*g) Il. XI: 200. f.*

*h) Il. XV: 254. f.*

*i) Il. XVI: 702. f. — Cfr. quoque Il. V: 436. f., ubi simile  
 quid de Diomede, Æneam interficere cupiente, legimus.*

*k) Il. XX: 332. f.*

*l) Il. XX: 376. f.*

erroris conscius, misso Agenore, ad urbem propere revertitur: Poëta vero Achillis in hac parte sensuum interprete, ipse Apollo (Agenoris sub specie) Achillem alloquitur temeritatemque suam ipsi exprobrat (*m*). Plura vero exempla congerere non vacat nec opus.

Dein vero observare liceat, ruditati item priscorum tribuendum esse, quod, cum omnes & animi & corporis dotes, omnemque humanam *εὐεγείαν* & salutem, ad Deos auctores ut jam supra monuimus referre consuevissent, nec nisi objective Deos, sola quamvis cogitatione assequendos, sibi valerent repræsentare (*n*), homines quosque, qui, aut ipsi

D fin-

---

*m*) *I. XXII: 7.*

(*n*) Ratio humana, ubi inulta fuerit, res sibi concipere non potest invisibilis, verum oculis omnia percipere avet. Detur itaque hæc venia antiquitati, quod neque Deos animo sibi fingere potuerit *ασωμάτες*, formasque Deorum saepius vias declararit. — Oculis tamen Deos (vel eorum faciem) adipicere, vitæ pericolosissimum duxerat tota antiquitas (haud forsitan alia ex causa, quam quod fulgur, Dei quasi facies, mortem multis attulisset), ut fatis probant *I. XIX: 14, 15*, in primis *XX: 131*, coll. *Hymno in Venerem v. 182. f.*, itemque *Exod. XXXIII: 20*; unde & Dii, tam apud Homerum, quam etiam in Sacris Litteris, plerumque, dum cœlo descenderint hominibusque apparuerint, caligine feruntur induiti. — Nihilominus Dii quibusdam hominibus, sine ullo vitæ discrimine, manifesto in lumine se dederunt conspicendos, ut abunde

singulari in rebus negotiisque gerendis eminerent, vel fortitudine, vel audacia, vel successu, vel prudenter, aut aliis, sive suadendo & exhortando, sive consilia suggerendo, sive spem excitando, sive quæ scire intererat nunciando & communicando, sive alia quacunque ratione opem ferendo, tempestive, inopinato, efficaciterque, adfisterent, quandoque, non tam ut homines, quam potius ut Deos hominum forma induitos, considerarint, plurimaque hinc, apud Homerum quoque, hujus philosophiæ, Deorumque, humana præcipue sub specie (o), επιφανειας, specimina

---

testantur *Od.* III: 420, XVI: 161, coll. *Exod.* XXXIII: n. & *Numer.* XII: 8. — Tacenius, Deos, nonnisi iplis volentibus, a mortalibus, secundum Theologiam Græcanicam, conspicere posse (*Od.* X: 573); eum autem qui Deum nolentem conspexerit, magnas temeritatis pendere pœnas (*CALLIMACHI Hym. in Palladem v. 100. f.*). — Sed — fabularum, ut STRABO (*Geogr. L. X:* p. 474) ait, aliae consentiunt inter se, aliae discrepant.

- o) Vulgo quidem per anthropomorphum Homerus (ut & reliqui Scriptores antiqui) Deos coram conspectos sistit. Nonnunquam tamen Deos animalium forma in medium prodire & alloqui facit. Sic ex. gr. Leucothea, mergi forma admisa, Ulysem naufragum allocuta singitur *Od.* V: 337. f. Moris nempe erat antiqui, vel animalibus, ubi suo se gerendi modo ansam cuiquam, aut ominandi, aut cogitandi quid, præbuissent, vocem articulatam tribuere. Loquuntur hinc: equus Achillis Xanthus (*Il. XIX:* 404. f.): aries Phixi (*APOLLON. RHOD. Argonaut.* L. I: v. 258): Bileami asina (*Numer. XXII*).

mina occurrere. Legimus scilicet: Æneam atque Pandarum suspicatos fuisse, Deum quendam latuisse sub forma Diomedis, quia summa & extraordinaria fortitudine in pugna ruens magnam Trojanorum interfecisset multitudinem (*p*); idemque de Patroclo, æque fortiter se gerente, sensisse Sarpedonem (*q*): Diomedem incertum fuisse, utrum Glaucus, qui in pugna gressum ad se tendere ausus fuerat, aliquis esset mortalium, an immortalium (*r*): senem Priamum, ob insignem, qua filius Hector, dum viveret, excellebat, fortitudinem, eum vocasse Deum inter viros (*s*): Non præconi vulgari & proprie sic dicto

D 2

con-

---

*p*) *Il. V: 175. f.*

*q*) *Il. XVI: 424, 25*, coll. loco nuperrime citato.

*r*) *Il. VI: 123. f.* — Flagrat idem Diomedes, leviter a Pandaro ad dextrum humerum fauciatus, vindictæ cupidine, denuque, rbois, quo pater quondam inclitus erat, memor, intrepido & alacri animo, majorique, quam quæ haec tenus in pugna usus fuerat, prudentia & circumpeccitione, in Trojanos ruere gesit: sed, ex interpretatione Poëtæ (*Il. V: 125 f.*), Minerva Diomedem alloquitur, robur paternum immitit intrepidum, caliginemque, quæ prius inerat, ab oculis, ut probe tum Deum (i. e. virum quemque fortissimum) tum hominem dignosceret, aufert.

*s*) *Il. XXIV: 258.* — Versu autem sequenti Hector, eadem ex caula, proprie quamvis a Diis non esset oriundus (*Il. X: 50*, *XIII: 825*), *Filius Dei* salutatur. Praestabant nempe hi ceteris mortalibus fortitudine, ut satis loquuntur *Il. V: 635*, *VI: 191*, *XIII: 449*.

contigisse altum illud, quod, Ulysse, postquam Ther-  
fiten Agamemnoni conviciantem compescuisset, con-  
cionaturo, inter Achivos obtinuit, silentium vi mu-  
neris efficere (quia vel novem præcones, Agame-  
mnone haud ita pridem verba in concione facturo,  
populum tumultuantem ægre cohære valuerant),  
verum ipsam Minervam, Præconi assimilatam, im-  
posuisse (*t*): Venerem, sub specie vetulæ, quam  
secum e Lacedemone transtulerat Helena sui stu-  
diosissimam, laudatam Helenam ad thalamum, quo  
clam se receperat Paris a Menelao in pugna singu-  
lari superatus, advocasfe, eique, ut morem quoque,  
invita quamvis, gereret, persuasifse (*u*): Successisse,  
non quidem Agenori, sed Apollini formam ejus in-  
duto, Achillem persequentem evadere (*v*): itemque  
Minervam, dum Telemachus iter ad Pylum fuscip-  
ere statuisset, ejusdem Telemachi sub specie, na-  
vem sociosque brevi comparasfe (*x*). Porro autem  
legimus: Martem Acamantis, Junonem Stentoris,  
Neptunum Calchantis Thoantisque, Apollinem Men-  
tes, Periphantis, Phænopis, Lycaonisque, Minervam  
Phoenicis, forma indutos, felici omine atque suc-  
cessu, quemque suos ad pugnam fortiter sustinen-  
dam

*t*) *Il. II.*: 278. *f. coll. v. 95 f.*

*u*) *Il. III.*: 383 *f.*

*v*) *Il. XXI.*: 600 *f.*

*x*) *Od. II.*: 382 *f.*